

/ Admodum Reverende Pater. Accepimus, et libentissime legi tum literas Reverentiae Vestrae, tum compendium Historiae, quod ad me misisti de rebus Japonicis, et Sinicis: et compendium Historiae communicavi cum Fratribus nostris. Non sum valde miratus persecutiones, 5 quas adversarius noster diabolus excitat in Insulis Japonicis, et in Regnis Sinarum: imo vero valde mirarer, si adversarius noster diabolus permetteret pacifice Japones, vel Sinas, relictis idolis suis, converti ad Deum vivum, et verum. Itaque Reverentia Vestra, ut adhuc fecit, imitatur^e Sanctos Apostolis, praedecessores suos: et si 10 martyres quoque imitari oportebit, gaudeat tam beatam sortem sibi, et sociis, ex magno Dei dono, praeparatam. Admonebo libenter Summum Pontificem de publicis orationibus, quas Indici cuperent pro iis, qui in Japonia, et Sinis decertant: sed vix addi aliquid poterit ad communes preces, quae in omnibus ecclesiis indictae sunt propter bella 15 haereticorum adversus catholicos. Valeat Reverentia Vestra mei memor in sanctis precibus suis. Romae die 22. Decembris 1620.